

7

15
1787
4

QVAEDAM
ARTICVLVM CXLVII.
CONSTITVTIONIS CRIMINALIS CAROLINAE
ILLVSTRANTIA

PROFERT,
SIMVL INDICIT PRAELECTIONES SVAS
PER SEMESTRE HYEMALE IN ALMA FRIDERICIANA


HABENDAS
KVRT SPRENGEL,
MED. DOCT.



Senec.

Ego sic viuam, quasi sciam, aliis me natum.

HALAE,
STANNO HENDELIANO.
1787.



QUAEDAM
ARTICULVM CIVILIS
CONSTITUTIONIS CRIMINALIS CAROLINE
ILLVSTRANDA
PRAEFATIO
SINGVL INDICIT REPERITIONES SVAS
PER SEQUESTRVM HYEMALE IN ANIMVS REPERTVM
BASTARIAE
K. V. L. SPRUNGER



Ego sic vitam, quod solum, esse me sciam.

HALAE
STANNO HENRIANO



Cum nullum fere sit scientiarum aut artium genus, quod tam multiplices atque diuerfas requirat cognitiones, quam ars salutaris, vt, qui eidem se tradunt, ope aliarum auxiliarum doctrinarum ad altiora fastigia eiusdem artis, cui nomen dant, ascendere possint; ita quoque Medico praxin exercenti nihil grauius, nihil ad vtilitatem praestantius, nisi probe callere leges, quibus adstricti Iureconsulti, quibuscum saepe saepius versatur, iudicium medicum nonnumquam desiderant, quod fere semper ni falso, certe nimis indiscrete exprimitur in ipsis legum collectionibus. Ardua sane est atque maxime ambigua medicina forensis ad nostrum vsque aeuum, ob iureconsultorum incuriam et medicorum, saepius tamen ob nimiam earundem curiositatem, cum alter fere vbique in alterius dominium soleat diuagari. Haec pessima tamen methodus maxime consuetudine est recepta apud medicos plerosque forenses, qui non contenti suis officiis, immiscet se aliis, et mox de legum ratione, modo de moribus hominum, iam de aliis longe alienis a foro medico solent declamare. Plura praesentissima manant ex mala eadem consuetudine detrimenta, praesertim in doctrinam de vulnerum letalitate: quam quidem fere omnium, quas complectitur medicina forensis, vt dignissimam, viliissimam, grauissimam, ita quoque maxime ambiguam atque arduam esse, plane persuasum habeo.

Disceptatio praesertim grauissima orta est super articulo centesimo quadragesimo septimo Constitutionis criminalis istius celebris, quam diuulgatam ab Imperatore Carolo V. annis 1531. et 1532. postea receperunt quamplurimae, praesertim Germaniae regiones 1), — Ab articulo CXXX. inde homicidii

A 2

variae

1) Titulus talis est vtitatus: *Der osterreichlichstigen, großmächstigen, anberwindlichstigen Keyser Karls des fünften vnd der Keyserlichen Römischen Reichs peinlich Gerichtsordnung, auff den Reichstagen zu Augspurgk vnd Regenspurgk, in Jaren 30 vnd 32 gehalten, aussgericht vnd beschloffen.* Edicio, qua egomet vsus sum, quae tamen nonnumquam culpatur, est Io. Samuel. Frider. Borchmeri ad calcem *Elem. Iuris Criminalis.* Ed. 6. 8. Halae 1766.

variae tractantur species earundemque poenae, et continuatur art. CXLVII, tali modo:

So einer gefchlagen wird, und über etlich Zeit darnach stürbe, also, daß zweyffeltich wer, ob er den geklagen Sreich halben gestorben wer, oder nicht? In solchen Fellen mögen beyde Theil (wie von Weisung gesetzt ist) Kunstschafft zur Sachen dienstlich stellen, und sollen doch, sonderlich die Wund Artzt, die Sach verstendig, und andere Personen, die da wissen, wie sich der gestorben nach dem Schlagen und Runor gehalten hat, zu Zeugen gebraucht werden, mit Anzeigung, wie lang der gestorben nach den Streichen gelebt habe, und in solchen Urtheilen die Urtheile bey den Rechtsverstendigen, und an Enden undt Orten, wie zu End dieser Unser Ordnung angezeigt, Raths pflegen.

Quodsi itaque homicidium haud prorsus sit manifestum, requirantur Medici et Chirurghi, qui inquirent *): *Vtrum vulnus fuerit letale, an secus!* Inquisitionis regulae pro more et cognitionibus saeculi sui praescribuntur medicis, quae tamen nostrae aetati haud amplius congruae videntur, cum per plurimorum fide nostra dignorum ratiocinia atque observata medicina forensis perfectior magis magisque evaserit. Reliqua autem tradenda jureconsultis, ut in aliorum messum ne falsam immittere videamur: quippe cum nostrum non sit, leges condere, aut conditas reformare, sed ea tantum explicare et salva legis veritate et dignitate, salva denique nostra arte, applicare, quae explicationis indigere videntur 2). —

Distinguendum itaque primum vulnus sensu forensi, a vulnere, sensu chirurgico; cum ille sit latior, hic strictior; illic enim sub vulneris nomine completimur quamcunque laesionem corporis, quae nunquam vitae humanae, quo

*) Non Chirurghi tantum sententiam ferant, ut vult *Carpsov.* qu. XXXVI. n. 36. 37. sed Medicus legitime promotus *Roland.* de commiss. P. I. lib. IV. c. 16. n. 7.

2) Medicis esse sua relinquenda et legum peritis sua, testantur *Damhonder* pract. crim. c. 77. n. 21. *Bartol.* in L. fin. ff. ad L. Corn. de sicar. *Zabarell.* in cap. Furios. n. 14. de homic. vol. et cas. *Canonher.* Hipp. Politic. p. 93. *Lang.* Epist. I. 5. *Farinac.* Conf. 172. n. 7. et 28. lib. II. et quaeff. 127. p. 4. n. 101. *Alexand.* conf. 148. n. 4. vol. 2. *Roland.* Conf. XXX. n. 27. T. III. et quamlibet sibi metipsum saepius contradicat, *Flouquetus* Comm. med. in process. crimin. p. 44. Id. von gewaltf. Todesart. §. 10.

quo denique modo id fiat, insidiatur. Hinc non solum ictus, fustigationes, vitiones, sed etiam mod[is] variis suffocationis, exanationis &c. huc pertinere effir-
mant 3). Luculentissimum hoc videtur exemplum de singulari prorsus atque se-
parata medicinae forensis ratione, dum et in hoc momento quammaxime diffe-
rat a chirurgia et medicina clinica.

2. Vulnus letale dicitur sensu forensi id, quod sub determinatis conditio-
nibus, et in hoc, neque alio subiecto, mortis causa sufficiens fuit. Quaeritur
a medico therapeutae, et chirurgi letalitas vulneris sensu alio, ac a medico fo-
rensi: illic enim tantum, possitne sanari vulnus, siue secus, inquiritur: hic
vero, fueritne mortis vera et sufficiens causa, siue ex alio fluxerit eadem acce-
dentibus causis. — Falsa itaque est, quam proposuit Ill. ab Haller 4), defini-
tio vulneris sic dicti absolute letalis, quod respuat omnem medelam per
suam naturam. Namque determinare, sanatine potuerit vulnus, nec ne, medi-
ci forensis haudquaquam est, sed chirurgi tantum, dum vitam adhuc degit vul-
neratus. Dictum enim est a nonnullis iureconsultis 5) et medicis 6), qui ideo
perperam ab aliis 7) taxantur, *vulnus id letale, ex quo inversus pro sua cor-
poris constitutione et praesentibus loci temporisque circumstantiis mori deluit.* Reum
non iuvat, si medicus, posse quandoque periculoso remedio sanari ictum, con-
tendat 8): et, quamlibet pro periculi magnitudine aestimatur poena 9), hoc
tamen medici haudquaquam est, sed solummodo post mortem edicere, fuerit
hoc vulnus, in hoc subiecto, et sub his conditionibus, mortis causa, nec ne.
Medicis enim dubitantibus de letalitate vulneris ipsius, iureconsultorum est, ex-

A 3

traor-

- 3) Bohn de renunc. vulner. p. 4. Hommel de letalit. vuln. Lips. 1749. §. 1. Koch In-
stit. iur. Crimin. §. 42. Apulej. de virt. herb. hist. c. 55. Ranchin. Pathol. vni-
vers. II. 37. Io. de Vigo Chirurg. lib. III. tr. 1. c. 1. Fallop. de vulner. c. 1. Ga-
len. Meth. med. III. 1. 4.
- 4) Vorlesungen über die gerichtl. Arzneywissensch. II. B. I. Th. S. 361.
- 5) Struw. diff. crim. VI. th. VI. p. 71. Harprecht's conf. LXXV. Bochner elem. iurisp.
crim. p. 373.
- 6) Daniel adunbr. instit. med. publ. ed. §. 7.
- 7) Flouquet Comm. med. in process. crim. §. 14. Metzger Staatsarzneyk. p. 139.
- 8) Kress. ad art. 147. C. C. C. §. 1. n. 5.
- 9) Leg. Sal. tit. 19. Leg. Baiuuar. III. 1. Leg. Longobard. I. 21. 5. Saxon. I. 11.

traordinariam statuere poenam 10), quod itaque ad eos est transferendum: neque medicus forensis vnquam immisceat sese iudicis officiis. — Nihil praeterea refert, occidat quis, an causam mortis vel remotam, quolibet id fiat modo, praebet; necare enim videtur non tantum is, qui hominem gladio percutit aut globo sclopetario, aut fustibus, icibus morti tradit, sed et is, qui alimoniam denegat, et qui locis publicis exponit, &c. 11). Quae regeffit ad hunc locum Cel. *Plouquetus* 12) ex Lege Aquilia 13) de seruorum caede, tangere nos haudquaquam videntur, cum iam Exc. *Daniel* 14), maximam fuisse differentiam inter liberos homines, libertos et seruos apud Romanos, demonstrauerit. Quamquam itaque ipse Exc. *Daniel* 15) videatur in forum iudicium diuagari, manet tamen, ad nostrum arbitrium, fixa atque tutis innitens argumentis eius thesis: vulnus letale solum id esse, quod mortis causam praebet (sc. sufficientem). Exstant enim, quae notentur, dignissima loca 16) apud iureconsultos, vbi, non quaeri, aiunt, an homo ex tali vulnere perire soleat, sed num reipsa in casu determinato perierit ex hoc vulnere. Neque sunt crudelia et sanguinolenta, quae ex eadem fluunt thesi, ut vult *Plouquetus* 17); relinquitur enim iureconsulto, decidere de eo, quod medicus pronunciauit. Si itaque haud ex intentione, sed ex infortunio occiderit aliquis alterum, siue leue fuerit vulnus, vel ioco alteri inflictum, quod mortis causam sufficientem in

con-

10) *Berger* elem. crim. P. I, p. 96. *Boehmer* T. II. conf. 1160. Subiecti constitutionem indiuidualem curatius inuestigat *Alberti* ad letalitatis gradum determinandum. Comm. med. ad C. C. C. *Fortun.* Fidel. Relat. Med. Lib. II. Sect. 3. 4. Lib. IV. Sect. 2. *Suenus* de inspect. vuln. letal.

11) Sic iudicauit Pont. Max. Innocent. III. Corp. Iur. Canon. C. 11. X. de homic. vol. et cas. *Pau.* L. 15. ad L. *Cornel.* L. 4. D. de agnosc. et alend. lib. *Iulian.* L. 51. pr. D. eod. *Ulpian.* L. VII. §. 1. D. ad L. *Aquil.*

12) Comm. med. in process. crim. p. 52.

13) *Pau.* L. XXX. §. 4. ff. ad L. *Aquil.*

14) l. c. §. 12.

15) l. c. §. 15.

16) *Quistorp* Grundsatz. des peinlichen Rechts. §. 219. 235. I. H. *Boehmer* Conf. et decif. T. II. p. 1164. n. 6. *Coccej.* Jur. controv. civ. Tit. ad L. *Aquil.* qu. VI. *Plouquet.* ipse, von gewaltf. Todesart. §. 10.

17) Comm. med. in process. crim. var. loc.

constitutione corporis singulari praebet, iudex decernet pro ratione legum: si incuria fuerit accusanda, incuria poenam dabit, neque multandus vnquam videt homo innocens 18).

Hinc per se patet, differentiam letalitat^{is} *absolutae et accidentis* vanam esse, neque nostros promereri calculos, cum neque iudicis, neque medici quidquam referat, fluxerint ex ipso vulnere immediate mors, an per plurium adhuc symptomatum series denique ortum inde traxerit. Praeter enim iam allata a Clar. Doct. *Daniel* 19) speciosa argumenta, hoc tantum addamus:

1. Merito esse curatius discrimen ponendum inter letalitatem vulnerum chirurgicam et forensis. Ob huius modi enim incuriam varii et grauissimi commissi sunt saepius errores, contentiosaeque ortae lites, vbi rite non distinguebant medici forenses officia chirurgi therapeutae ab officiis medici forensis. Neglexisse autem omnino videtur Exc. *Daniel* 20) istiusmodi discrimen, vbi immortalis *Boerhaavi* famam laedere fategit, dum ex definitione huius 21), quam protulit de vulnere letali, absurdam facit consequentiam: taxauit eundem *Ploaquetus* 21), quod propositionem, quam inuersam sibi conceperit *Boerhaavius*, directam intellexerit *Daniel*. Controversia haecdem maiori iure et faciliori negotio in honorem *Boerhaavi* magni committi potest, si differentiam inter sensum letalitat^{is} forensis et chirurgicum statuerimus. *Boerhaavius* enim in opere suo immortalitatis dignissimo vulnera tractauit non nisi, qua ad medicinam et chirurgiam pertinent *), neque vllum videtur respectum habuisse ad sensum forensis. Hinc quoque optime definitionem stabilire eam potuit.

18) Magnifica plane atque generosa oratione loquitur *Clinias Plar.* de legib. lib. IX. p. 663 sq. ed. Stephan. de homicidiorum speciebus et poenis diuersis. Sic quoque iudicat *Servin* über die peinl. Gesetzb. überf. v. *Gruner*. 8. Nürnberg 1786. S. 162.

19) l. c.

20) Instit. med. publ. adumbr. §. 22.

21) Aphor. 152. sq.

21) Comm. med. in process. crim. p. 48.

*) *Boerhaavius* male secuti sunt scriptores nonnulli forenses, vt *Engan Elem. Iur. Crim. Germ. Carol. 8. Jen. 1753 §. 313. Teichmeyer Instit. med. legal. c. 22. Troppaneger decif. med. forens. Dec. 1. cas. 3. V. 7.*

potuit de vulnerum absoluta letalitate, quam in loco citato legimus: errasse videtur itaque virorum celeberrimorum uterque, cum is, qui reprehendere *Boerhaavium* sibi sumserat, tum, qui male *Boerhaavium* defendere conabatur.

2. Vulnera absolute letalia rarissima sunt, hinc nihil humiois iudici adferunt, quo uti possit ad dilucidandam rei culpam. Cerebri enim et cerebelli vulnera cum substantia omnino deperdita absolute letalia, ad sensum communem, esse nequeunt, quicquid Ill ab *Haller* 21) dicat, cum inter multos alios et *Veslingius* 23) observauerit, aegrum esse sanatum, cuius cerebelli maxima portio erat deleta. Medullae spinalis vulnera absolute letalia esse nequeunt, cum homo quidam, perforata medulla spinali, decem annos superstes fuerit 24). Carotidis externae vulnus, quamlibet absolute letale fuerit habitum, exstat tamen 25) exemplum curationis eiusdem per deligationem. Hinc etiam, cum praecipue *Eischenbachius* 26) ad vulnus per accidens letale requirat, ut vel unicum tantum exisset exemplum sanati aegri, quod praeter supra allata exempla etiam in cordis superficie, sanatione a natura sola instituta 27) accidit, laesiones eiusmodi absolute letales, raro exemplo sanatae, nullum homicidae patrocinium adferunt 28). Gradus itaque letalitatis nullius usus esse videntur in medicina forensi, cum nequaquam quaerat index, possitne in abstracto sanatio obtingere, siue eludat in hoc illoque casu vulneris magnitudo, conditionesque reliquae, sub quibus vulnus est inflictum, omnem curationem. Tali modo medicis forensibus iudicandum, si requirantur, neque immisceant se ullo modo officiis iudicis de probabilitate maiori aut minori sanationis, cum iam antiquum sit *Hippocratis* edictum, ab omnibus aequaliter vulneribus hominibus posse mortem conscisci 29).

3. Nulla

22) Vorles. über gerichtl. Arzneuy. II. B. I. Th. S. 407.

23) Epist. XIII.

24) *Hallers* Vorles. II. B. I. Th. S. 417.

25) *Heister* diss. Helmst. 1741. *Alberti* Jurisprud. med. p. 445.

26) Med. legal. p. 70.

27) Hinc et definitio letalitatis absolutae, quam proposuit Ill. *Meyerus*, quod natura sola nunquam eadem sanare possit vulnera, haud probanda videtur. Conf. *Ej.* Staats-arzneykunde. S. 137.

28) *Hebenstreit* Anthropol. forens. p. 344.

29) *Hipp.* Prorrh. II, ed. Foëf. p. 96.

3. Nulla omnino conditio, neque temporis intervallum, neque individualis vulnerati constitutio quemquam letalitatē gradum stabilire videntur, sicut iam Exc. *Daniel* 30) animaduertit. Praecipit noster articulus, ut adfines, quibus innotescit occisi constitutio, indicant, *wie lange der gestorben, nach den Streichen gelebt habe*; ex qua quidem indicatione quamuis percipiat emolumentum iudex, nequaquam vero medicus, neque uterque per se vilam inde sententiam feret. Qui enim dies numerant, effugium homicidii suppeditare videntur 31), cum iam *Vaterus* annotauerit, vulnus cerebri per globum selopetarium inflictum post septem hebdomadas tandem fuisse letale. Sectioni legali itaque transmittendi videntur vulnerati ad intelligendos laesionis effectus mortiferos, si diuturna symptomatum serie a vulnere pendentium ad mortem protrahuntur 32). Magno perere enim cauendum, ne nimis leuem ferant medici in eiusmodi casu sententiam, ubi sero quis moritur 33). Mortis ipsa subitanea sequela post vulnus inflictum omnino nihil per se facit ad vulneris absolutam letalitatē definiendam, nisi relatio quaedam adsit inter causam et effectum 34). Distinguendum igitur, aegrum post et propter vulnus mortuum esse 35), quod neglexit *Fasellus* 36). — Immerito itaque iudicarunt iureconsulti varii, qui quadragesimum diem attingat, fato, non vulnere mortuum ferri debere 37). Hinc non refert, utrum statim, an post tempus mortuus sit vulneratus, dummodo ex vulnere perierit 38). Causa mortis idonea non videtur, ubi caesus homo post aliquot dies

de-

- 30) I. c. Eodem modo iudicauit *Willvoegel* de iure embryon. 1716. eum esse puniendum, qui *legem regiam* de sectionis caesareae necessitate non sequitur.
- 31) *Bohm* de renunt. vuln. p. 63.
- 32) *Alberti* Iurisprud. med. T. I. cas. 22.
- 33) *Hebenstreis* Anthropol. forens. p. 358.
- 34) Id. ib. p. 350.
- 35) *Paul.* ad L. Aquil. XXX. 4.
- 36) Elem. medic. forens. 4. Ien. 67. §. 159.
- 37) *Ferrar.* prax. Tit. LH. Gloss. II. n. 2. *Grat.* III. manud. 34. *Masth.* de crimin. p. 497.
- 38) *Berger* Elem. Crim. P. II. p. 93. *Boehmer* Elem. Iurispr. Crimin. 8. Hal. 1766, p. 372. *Hebenstreis* Anthropol. forens. 340.

B

decessit, nisi forte fuerit ad necem caesus, vel letaliter vulneratus 39). Febris vulneraria quandoque diurna per metastases aliosque tristiores eventus, proprie vulnus sequentes, conspicua morte terminat aegritudinem saepius, ubi perinde est, ac si aeger immediate post vulnus perierit 40). Maxime itaque culpandus videtur *Zacchias* 41) qui, non teneri vulnerantem de homicidio perhibet, dum laesus post triduum furgat atque obambulet. Effusio sanguinis in caluariam, discissio intestini tenuis longam adhuc vitam sinent protrahere, quamlibet vulnus vere fuerit letale 42). Recte porro omnino iudicant, qui strictum terminum vulneribus non praescribunt 43): ideoque et *Clasenius* 44) audiendus, qui vanam esse et fictitiam hanc computationem autumat, cum ob vegetas vires et dietam congruam possit aeger quoque ex vulnere, sensu chirurgico, letali superflus esse. Inopinati saepius accidunt casus, ut subitaneus decubitus in terram, vomica pulmonum disrupta accelerent mortem absque vulnerum letalitate absoluta 45).

Eodem modo quoque iudicandum omnino erit de aliis conditionibus, quae ad letalitatem individualem determinandam concurrunt. Neque tamen de culpa rei quaestio vnquam medico proponitur, sed tantum, fueritne letale hoc illoue casu et in hoc illoue subiecto vulnus? Hinc conditiones constitutionis vulnerantis individualis, aetatis, errorum a medico therapeutae commissorum &c. ad letalitatis deminutionem omnino nihil facere videntur, quod egregie iam monuit saepius a me laudatus *Exc. Daniel* 46): qui neque ideo vlllo modo culpandus est, cum nullam inuoluat eiusdem sententia crudelitatem, neque praescribatur eadem iudici, quid huic sit faciendum. Relinquamus poenae genus et modum iudicibus, qui legibus adstricti eandem determinabunt.

Saepius

- 39) L. ult. D. ad L. Cornel. de Sicar. et Collect. LL. Roman. et Mosaic. Tit. I. p. 7.
 40) *Meuchart* D. letalit. per accid. Tub. 1750. *Bohn* de letal. vuln. p. 11. Corp. Iur. canon. C. 7. X. de homic. vol. et cas.
 41) *Quaest. med. legal.* VI. n. 18. XII. 22.
 42) *Swieten* Comm. ad §. 173.
 43) *Alberti* Comment. ad Const. Carol. Crim. p. 327.
 44) *Not. ad C. C. C. art. 147.*
 45) *Bohn* de renunc. vulner. Sect. I. c. 3. p. 63. *Hallers* gerichtl. Arzneiwissenschaft. II. B. I. Th. S. 391. *Corpsov.* Prax. crim. P. I. Qu. 26. *Brunnemann* Proceß, crim. inquit. C. VII. n. 27.
 46) l. c.

Sæpius quoque falli medicum forensem in inquisitione, quam nosser præscribit articulus, circa res gestas et mores vulnerati post insistum vulnus, certum est. Solent enim, qui capitis vel gravissimas experiuntur læsiones, euphoriam monstrare, imo λαθραίως τελευτῶν 46): sic quoque semper discernenda symptomata ἰδία, διὰ τῶν ab accidentibus, vti rite letalitas determinari possit. Sed cum iam hæc sint a multis amplius et melius exposita, transeo iam ad ultimum argumentum, quod brevibus proferre hæc quidem occasione mihi proposueram. Videntur enim medici forenses, cum vulnere letalitate tractant, diuagari in forum iudicum vel potius ethicum, si ad intentionem rei consilium transferunt. Requiritur medicus, vt individualetalitate vulneris, quod mortis causa putatur, manifestet, neque vt defensor vel vulnerati vel accusati fiat. Cel. *Ploucquetus* maxime hoc vitium commisit, vbi 47) de letalitate individuali loquitur et ad notitiam respicit, quæ poterat reo adesse de constitutione vulnerati individuali. Solent quidem varii iureconsulti plerumque supponere 48), eum, qui pactum componat, oportere quoque scire rationem alterius atque vniuersam constitutionem, quocum pactum contrahat. Quæ hypothesis, quamlibet omnino in iure positivo fundata videatur, iuri naturali, id quod sæpius obtingere obseruatur, plane tamen contradicit, cum argumenta atque rationes, quæ nostras determinant actiones, hisdem quoque tradere vti plurimum soleant, quidquid iisdem inest dignitatis aequæ ac ponderis 49). Optime itaque atque digne monuit *Derharding* 50), in istius modi casibus de animo iudicare iudicis, de euentu autem medici esse. Nonne inde peruersa videtur *Ploucqueti* 51) prolata thesis: Die Tödlichkeit hat ihre Beziehung auf die Beurtheilung der gekabten Absicht des Thaeters! Nonne contrariari sanis omnibus principiis medicinae forensis videtur?

Cauca-

46) *Hippocr. Coac. Prognof. v. l.*

47) Ueber die gewaltf. Todesart. §. 19.

48) *Pandect. de R. l. l. XIX. — Lex Cornelia dolum pro facto accipit. L. IV. §. 1. L. XIV. D. h. tit. l. 1. §. 5. c. eod. L. XVI.*49) Tali modo iudicat *Kantius* in sua immortalis *Metaphysik der Sittenlehre*.

50) De necess. vuln. inspect. p. 30.

51) l. c. p. 21.

Caueamus itaque a talibus excursionibus in alienas ditiones, si limites medicinae forensis iustos dilatate atque ampliores facere cupimus: ne simus iniqui, neque negligamus officia nostra, immiscentes nos alienis.

His itaque breuiter praemissis, quae habebam ad doctrinam forensis de vulnerum letalitate pauca monenda, indicam iam eas, quas commilitonibus in alma Fridericiana arti salutari addicis obtuli, praelectiones. Sunt autem sequentes:


1) Tradam historiam nostrae artis pragmaticam, exceptis anatomiae, botanices et chemiae fatis, hor. III. Maxime autem ex historia tam culturae quam philosophiae speciatim diiudicare medicinae fata satagam: a me in hunc usum exaratos aphorismos auditoribus oblaturus.

2) Doctrinam de aegritudinibus corporis humani cum externis, tum internis, et generalem ad Gaubii compendium et specialem ad Danielis systema docebo h. IX. Coniungam itaque Pathologiam medicinalem sic dictam cum chirurgica; superstruere praeterea conabor philosophicis principiis dogmata generaliora Nosologiae.

3) Medicinam publicam ita ad Ill. *Merzgeri* Handbuch der Staatsarzneykunde, 8. Zullichau. 1787. declarabo, vt Politiam medicam per hyemem, Medicinam forensis vero per aestatem sequentem, si Deo placet, doceam.

4) Introductionem in Semioticen et Praxin medicam secundum Hippocratis aphorismos offero hor. II. vbi exegefin cum practica aphorismorum applicatione accurate combinare studebo.

Halae, 1787. Oct. 10.



Halle, Diss., 1786/87

ULB Halle

001 604 848

3




Sb.

vd 10







7

15
1789
4

QVAEDAM
ARTICVLVM CXLVII.
CONSTITVTIONIS CRIMINALIS CAROLINAE
ILLVSTRANTIA

PROPERT,
SIMVL INDICIT PRAELELECTIONES SVAS
PER SEMESTRE HYEMALE IN ALMA FRIDERICIANA

HABENDAS
KVRT SPRENGEL,
MED. DOCT.

P. 429



Senec.
Ego sic viuam, quasi sciam, aliis me natum.

HALAE,
STANNO HENDELIANO.
1787.

